

ricam, cito ac facile corrumpi, exiccariq;.

D V A B V S his rationibus addere possumus aliam efficacissimam, eam videlicet, quam Aristoteles affert 1. de celo. Aqua suapte natura confluunt ad loca decliuiora, vt experientia didicimus quotidiana: igitur rotunda existit; nam alias non conflueret ad loca decliuiora. Sit enim aqua superficies, si fieri potest, plana, & non

curvularis, expansa super terram per lineam $A D B$, & ex centro mundi C , describatur circulus $E G F$, & ex C educatur $C D$ perpendicularis ad $A B$; conestanturq; rectæ $A C$, & $B C$, & quoniam per 29. propos. 1. Eucl. recta $C D$, minor est quam $C A$, vel $C B$, erit punctū D , in loco decliuiori, hoc est, propinquius cetro, quā punctū A vel B . Aqua



igitur non impedita non confluet ad loca decliuiora: quod cum pugnet cum experientia, necesse est, vt pars aque media, nempe D , attollatur ad punctum G , & partes aque iuxta A , & B desinant, perueniātq; ad puncta E & F , vt tota aqua habeat tumorem $E G F$, equaliterq; distet a centro mūdi. Hac enim ratione naturaliter quiescet collibrata. Ex qua quidem ratione probabitur, nullam aliam figuram posse habere aquam præter sphericā, nā alias semper haberet aliquas partes remotiores a terræ centro (Sphærica .n. tantum figura eque vndiquaq; propinquat centro) & ex consequenti non deslueret ad loca decliuiora, quod pugnat cū natura aque. immo ex hac ratione efficitur, vt quilibet liquor in aliquo vase contentus habeat tumorem aliquem, seu circumferentiam, cuius centrum est idem cum centro mundi.

AN EX TERRA ET AQVA VNVS FIAT
globus, hoc est, an horum elementorum conuexa superficies idem habeant centrum



V A M V I S ab auctore recte sit probatum, tam terram, quam aquam esse rotundam: In dubium tamen a nonnullis vertitur, an hæc duo elementa ita sint rotunda, ac spherica, vt vnicum constituant globum, vel (quod idem est) vnum & idem habeant centrum. Quidam .n. asserunt